

*Præclarissimo & Eruditissimo Viro D. Jacobo Spino Medicinæ Doctori, & Lugdunensi Anatomico Accuratissimo. Marcellus Malpighius S. P.*

**D**imissis languentis Naturæ erroribus, plasticæ virtutis officinam contemblemur exarando ea, quæ favente mihi Præclarissimo & Amicissimo D. Silvestro Bonfiliolo circa uterum olim moliebar. In hoc itaque obscurissimo omnium viscere extra graviditatis tempus ob contracta vasa, & in varices contorta, ita implicitæ sunt componentes particulæ, ut nulla fere arte distingui possint. In turgente autem & prægnante utero (brutorum præcipue) quædam emergere videntur. Nonnulla igitur, qnæ menti meæ illuxere, dubitative tibi indicabo (non enim integre omnia adhuc sensus meos explent) ut excitata tua sedulitate vel apertius pateant, vel meam phantasiam amplius non illudant. Vaccinum itaque uterum sum aggressus, cuius copia facilis occurrit, & ex magnitudine, minus obscura sunt ipsius componentia. Hujus exterior membrana densa valde sese offert, quæ universum uterum, tubas, vaginam, & appendices investit & firmat. Sub hac, carneæ fibræ locantur, quæ per longum ductæ, & quasi in carneos lacertos interdum adensatae, diversas inclinationes fortiuntur. Interferuntur autem ad invicem, præcipue versus tubas, & non longe ab ovariis in fasciculos conglobantur. Aliæ quoque horizontaliter secundum crassitatem uteri propagantur, hærentque pelliculis tenuibus sub diversis planis totum uterum ambientibus. Non longe ab his occurrunt lymphatica vasa proprio turgentia humore, qui admoto igne tandem perspirat. Sub prædictis vasis venæ & arteriæ excurrunt hinc inde uterum ingressæ, ita, ut rete elegans efforment, cuius areæ diversam exhibent figuram.

Solent

Solent tamen, ut non raro observavi, gemini venarum rami unicum concomitari arteriam. Nervi quoque interseruntur totam uteri molem pervadentes.

Alia quoque vasa, seu ductus, quæ uteri propria sunt, insignia & per ampla graviditatis præcipue tempore dprehendi. Horum itaque varia est productio, cum ab uteri substantia partim emergant, partim quoque interius lateant, unde circa ipsorum progressum non parum laboravi, qui, prævia tamen hac nostra exercitatione defacili tibi, aliisque occurret. Hæc gemina sunt, unum enim hinc inde uteri & vaginæ quasi latera excurrit, ea præcipue in parte, qua uterus vesicam respicit & contingit. Et licet ab extrema vagina usque ad gracilesentia uteri cornua propagentur, non eandem tamen ubique redolent speciem, nec consimili magnitudine donantur, aut sub eodem plano feruntur. Inferior namque portio non longe ab urethræ orificio terminata immediate sub membra interiora vaginæ custodiente sursum recta fertur versus uteri os. Hæc portio frequenter vix stylum admittit, interdum auricularis digiti latitudinem æquat, unde lato capitulo, evidentique hiatu fere semper supra urethræ, seu urinarii meatus orificium in vaginam aperitur. Non longe a plicis, os uteri excitantibus, obliterari videntur hujusmodi ductus, solique (prout visus sum attingere) minimi occurunt poruli & meatus in continuatum vas desinentes. Hæc itaque obscurior horum vasorum portio ab evidenti ductu exorta intra carneas fibras condita sursum per angustati uteri latera propagatur, donec exterius a cervice erumpens supra uterum producta emergat. Varias sortitur species hæc vasorum portio & accuratam exigit indaginem, ut evidenter patula reddatur; saepè enim interius condita ita gracilescunt hæc vasa, ut quasi in conspicua reddantur: non raro globuli insignes & frequentes attolluntur precariam coronam æmulantes, & interdum turgente intus humore rectus vasorum progressus occurrit. Emergens vero horum ductuum

G portio

portio ab uteri cervice supra carneas fibras, & sub sanguineis vasculis lateraliter producitur per corpus & cornua uteri, quorum interiorem circumvolutionem productis hinc inde ramis irrigat, donec obscuris finibus in gracilescitibus tubis oblitteretur. Vasa haec, licet tubulosa sint & continuato terantur tramite, ab ambiente tamen involucro, seu ligamento & ab interiori ipsorum structura varie deturbantur ita, ut multiplices formas acquirant; ea namque pars, quæ uteri vaginam excurrat, sinuosa est, & recta sursum producitur. Ambiens interius membrana aspera est, nam rotunda lateraliter habet orificia; haecque admissum stylum non longius progredi sinunt, & interdum quasi glandulosi folliculi subrotundi appenduntur intro hiantes. Plures quoque per transversum extenduntur membranæ valvularum instar, unde in aliquibus appendices quasi cæcales excitantur, quales in intestino colon observantur. Prope urethræ orificium latiora redduntur hujusmodi vasa, & non raro sinuoso quodam capitulo turgent, a quo tortuosus ductus intra vaginæ concavitatem aperitur ita, ut gemina obscura que orificia urethræ hiatui proxima pateant. Superior vasorum pars latera uterini oris excurrens involucro quasi cartilagineo custoditur, unde varicosa redditur, & appendices subrotundas hinc inde promere videtur, ubi præcipue ambiens vagina in dispersos globulos extuberat; in quibus vero contento intus ichora turget, rectus efficitur tubulus; ablato enim cartilagineo involucro tenuella vasorum membrana manifestatur. Emergens tandem a cervice portio, calami scriptorii magnitudinem & formam fortita firmo involucro, etiam per aliquid spaciun ambitur; deinde spirali quasi ligamento circumdata elegantissimi vasis speciem adepta sensim decrescit, & subrotundas interdum promit lateraliter appendices succo refertas, & ulterius elongatur, donec prope cornuum curvaturam in ramulo lacinietur, quibus gracilescit uteri portio irrigatur. Et quoniam admissum

siphone

siphone atramentum vasorum extremos fines non subit ob contenti fortasse humoris visciditatem, ideo ultimus surculorum terminus non attingitur. Interdum loco propaginum appendices seu loculos observavi succo turgidos. Vasa hæc in prægnantibus una cum utero ita elongantur, & distenduntur, ut in vaccis ultra longitudinem brachii extensa viderim, multoque tunc temporis ichore turgentia, unde de facili obvia fiunt. Totam exaratorum vasorum concavitatem subpallearis succus occupat, qui variam tamen in diversis partibus & individuis substantiam fortitur; nam in sinuosa parte, quæ per vaginam excurrevit frequenter mucosus est, & pultis instar semiconcretus non raro observatur; in reliqua vero productione terebenthinam colore & lentore æmulatur; ignique expositus copiosas excitat bullas, & tandem glutinosum charabis instar relinquit crassamentum.

Ut autem singula hæc pateant, tibique obvia reddantur exarata vasa, avulsa urinariâ vescica & ambiente membrana, sanguinea valcula & fibrarum implicationes detrahens ita, ut exterior uteri angustata portio, sub qua os latitat, cervix & cornua denudata pateant, illico enim tubulosa hæc vasa hinc inde ultra uterini oris situm, in cervice scilicet emergent, ipsorumque ulteriore progressum supra cornuum latera attinges. Inferior vero horum vasorum portio tibi patebit invento eorumdem hiatu in extrema vagina non longe ab urethræ orificio. Interdum contentus in his ductibus ichor transparet ita, ut si interior vaginæ superficies lustretur, latæ videantur lineæ per longum ductæ. Tacto itaque foramine stylus imitatur, qui sensim penetrando totam quasi vaginam excurret. Ut autem obscurior & intermedia horum vasorum portio & continuatio pateat, erumpentis vasis ex uteri cervice involucrum descendendo sensim secabis; contenti namque ductus sublutea membrana, semitam indicabit. Et licet vasa hæc gracilia & varicosa existant; sectis tamen per longum carneis fibris uteri & vari-

cosis globulis postremo tibi occurrent. Interdum ubi turget ichor vasa hæc ampla & recta facilime obvia fiunt. Tu interim, summe vir, hac nostra indagine excitatus exaratorum vasorum structuram & progressum lustrare ne dedigneris, ut mature indicare valeas, an hæc vasa sint Laurentii, Riolani, & aliorum processus, vel deferentia vasa, an *Graafiae Lacunæ*, an postremo *Gaffariæ Bartholini*, in quo Parentis, & Avorum rediviva gloria ulteriori nitore resulget, fœminarum prostatæ, an aliud novum. Hoc unum ingenue testari possim, mihi sola repetita multoties sectione tribus ab hinc lustris descripta vasa innotuisse; hæcque studia plurimis amicis indi-  
casse.

Superatis vasorum, fibrarumque carnearum implicationibus & tunicis; secto secundum crassitiem utero in gravidis præcipue, spatiū quoddam, seu interstitium interdum semidigitū per transversum occurrit, quod a reticulari contextura occupatur, qua subvitellina quædam corpora vasorum speciem habentia, prout videre licuit, ad interiorem uteri superficiem producta firman-  
tur; circa hæc ludunt sanguineæ, minimæque propagines ita, ut quasi omentum excitetur. Uterus interius membrana quadam ambitur, quæ minima & innumera habet orificia glutinosum, mucosumque fundentia hu-  
morem, quo uterus ipse & vagina perpetuo madent. Quare compresso utero profilit hujusmodi mucosus ichor. Pa-  
tent autem hæc excretiorum vasorum ora, si diu inte-  
rior uteri membrana aqua maceretur, & in ovibus præ-  
cipue obvia sunt; quare probabile est subvitellina exara-  
ta corpora his orificiis in uteri cavitatem hiare; an ve-  
ro his minimæ appendantur glandulæ, licet sensus distin-  
cte non attingat, ratio tamen ex perpetua naturæ ope-  
randi norma probabiliter eas suadet. Observantur quo-  
que quamplurimi in tota uteri & cornuum interiori su-  
perficie tumores inæqualis magnitudinis parum assur-  
gentes, qui graviditatis tempore insigniter turgent, &  
uteri

uteri appendices videntur, seu vaginularum congeries, unde cotyledonum nomine insigniuntur. Admittunt autem erumpentes a chorio subintrantes radices ita, ut ex his duabus infitibus partibus completa habeatur glandula, qua separatum ab utero alimentum foeti subministratur. Taliter igitur compactum corpus, geminaque integratum parte placentulæ, seu subrotundi, parumque depresso corporis speciem habet, varioque insicitur colore; ea namque portio, quæ ab utero attollitur, cinerea est, altera autem subrubescit. Dimidiata uteri glandula congeries est vaginalium & sinuum, quibus alte pertoditur, unde atramento affuso manifestantur. Hujus substantia parum differt a velamento bombycino, quo intestina & ruminantium ventriculi interiori cibducuntur; subrotundas namque appendiculas promit, & compressa copiosum succum ptilanæ persimilem reddit. sanguineis vasculis irrigatur, unde injecto per uteri arteriam atramento tota denigratur. Interdum visus sum, obscure tamen, subflavum quoddam attingere vasculum, cuius ulteriorem indaginem tuæ sedulitati relinquo. Altera glandulæ pars chorio adnata lacinias quasi radicibus coagmentatur, quibus exaratas vaginalas subintrat. Tibi autem pulchrum occurret spectaculum, si evaginata hujusmodi pars intra aquam diu contenta microscopio lustretur: sepatatæ enim radiculæ & capillamenta lensim ita attolluntur, ut elegantem sylvam emulentur; innumeræ namque quasi plantarum radices a communi trunco propagantur, quæ in multiplices subdividuntur surculos & in capillamenta laciniantur. Harum substantia non differt ab uteri vaginalis. & sanguineorum vasorum propagines recipit ita, ut quælibet minima radicula suis gaudeat sanguineis surculis, qui per medium perpetuo ducuntur.

Uteri compages in mulieribus adeo obscura est, ut pene impossibilem sui indicet resolutionem; contracto namque utero ita complicantur & varicosa redduntur va-

fa,

sa, ut nullus sit locus sectioni etiam accuratae. Ea tamen tibi indicabo, quæ ex repetitis sectionibus mulierum vel a partu, vel circa septimum gravitationis mensem defunctorum observare potui. In his igitur uterus crassitie digitæ latitudinem æquat, & sanguinea vasa copiosa recipit, quæ ramis rete efformant. Exterius fibrae carneæ in fasciculos coagmentatae, & reticulariter implicitæ uteri strueturam componunt ita, ut ipsius interior etiam moles sit lacertorum congeries & complexus, qui variam fortiuntur inclinationem. Inter exaratas carneas fibras copiosæ extenduntur pelliculae, seu molles tunicae, supra quas ampli sinus fere innumeri, vasorum instar per longum excurrunt, qui in diversis planis superlocati, frequentibus orificiis ducantur quamcunque peripheriam spectantibus, unde inter proximos sinus fit mutua anastomosis. Horum speciem in mammarium tubulis, & in pene habemus; in his nonnihil sanguinis reperitur ita, ut videantur venarum diverticula, vel saltem ipsarum appendices: non longe ab his excurrunt sanguinei surculi non dispari ritu ac in liene accedit. Interior uteri substantia avulso chorio, & placenta, musculosa occurrit vario lacertorum complexu excitata, & a rimulis sanguinea vasa in surculos divisa promit. Huic uteri superficie graviditatis tempore pelliculae quædam adnascentur, quæ corio præcipue & placentæ connectuntur; hæ molles sunt & mucosæ, facileque lacerantur. Ab his rete quoddam fulciri & produci videtur, quod cinereis quibusdam, & friabilibus componitur corporibus, quæ tereti forma pollent, & propagatis lateraliter ramis in retis formam implicantur, pisci umque omentum repræsentant. Circu hæc corpora sanguineæ ludunt propagines varicose ductæ, & versus chorion & placentam elongatæ. An exarata corpora reticulariter implicita, sint fibræ carneæ, an nervi, an satius excretoria uteri vasa, tu ipse judicabis. Occurrit placenta uterina una cum chorio firmiter utero annexa.

nexa. Placentæ compositionem integre attingere non licuit ob friabilitatem & mucositatem, variamque partium implicationem. Illud tamen videtur certum, placentam esse vasorum umbilicalium contexturam peculiari firmatam substantia. Et sicuti cotyledones propria donantur substantia, quæ sanguinea vasa fulcit, & eisdem loco cribri, vel coli interficit, ita placenta, quæ est aggregatum ex cotyledonibus, scilicet ex partibus uteri vaginalis subeuntibus, necessario congeries est radicum & surculorum vasorum umbilicalium, qui supra laciniatam glandulosam substantiam producuntur. Interdum visus sum sanguineis propaginibus rotundos globulos, seu glandulas, quales in renibus observamus, appendas attingere; immersa tamen in aqua placenta, non occurrere hujusmodi glandulae, sed laciniata tantum corpora sanguineis vasculis irrigata observavi, quæ plantarum radiculas emulantur. Uterinæ placentæ superficies, qua utero necditur, inæqualis est, nam videatur appendicibus subingredi uteri sinus & concavitates quasi cotyledonum ritu.

Uterorum forma in singulis fere animalium specibus varia est, & ab Anatomicis tam graphicè describitur, ut nostram non exigat expositionem. Illud tamen perpetuum videtur, tubis ditari, quæ in plantarum uteris præ reliquis luxuriant. Non longe ab ipsis ovaria locantur, quæ antiquitus testes censebantur. In vaccis, in quibus ampla & manifesta extant, obducta membrana fibris carneis firmata ambiuntur. Qua ratione ovum ab ovario emergat, & in tubas transducatur, solicita multaque eget indagine. Quæ tamen ex fortuitis ovarii in vaccis lustrationibus colligere potui, tibi brevibus aperiām; non enim licuit, ut in incubatis ovis, successivam observationum seriem ex mactatis statu tempore quamplurimis quadrupedibus attingere, cum regias fere impensas exigat, quod *Harveo* & paucis concessum scimus, Illud itaque certum videtur in tenellis & adultis quadrupedibus

quadrupedibus & præcipue vaccis, ovaria complures continere inæqualis magnitudinis vesiculas colliquamento turgidas, quod igne in albuminis ovi naturam concrevit. Non semel vidi ab ovario pendentem vesicam, quæ magnitudine gallinaceum ovum superabat, & albumine concrescibili referta erat. Vesiculæ hæ tunica satis densa muniuntur, cujus interiore superficiem (ut non semel observavi) sanguinea vas miris plexibus irrigant. Tractu temporis luteum, solidumque corpus emergit, in tantam excrescens molem, ut totam quasi ovarii partem papilla quadam protuberat; magnitudine, completo augmento, cerasi fructum æquat. Exterior superficies aspera est nonnullis exiguis tumoribus inæqualibus excitata, fibris carneis ambitur, quæ ut in glandulis observatur, interius sese insinuant. Vasa quoque sanguinea & nervi excurrunt. Membrana involvitur, præcipue in papillari appendice, quam communis ovarii tunica ulterius investit. Componitur exaratum corpus frustulis & quasi lobulis, ut in aliis visceribus admirati sumus: hi autem angulosi sunt & variam sortiuntur inclinationem; videntur enim appendi sanguineis vasculis, & producto quasi umbilico. Lobulorum compages obscura est, & varicosis propaginibus lutei coloris conflatur, quibus videntur subrotunda corpora & appendices aurei coloris, & quasi adipis minima frustula nocti & continuari. Interior configuratio exarati lutei corporis non eadem omnino quocunque tempore reperitur, sed varia occurrit. Interdum enim, ut a simpliciore exordiar, conglobatum, implicitumque observatur corpus varicosis productionibus lutei, quandoque subcinerei coloris contextum, quod vix granum milii, vel saltem viciæ excedit. Frequentius tum circa vesiculas colliquamento, seu albumine ovi turgidas, adhucque minimas exterius involucrum lutea substantia compactum & quasi capreolis excitatum obducitur. Non raro luteum hoc corpus magnitudinem ciceris pene adeptum

deptum, pyrum figura æmulatur, & interius a centro versus collum sensim angustatum sinum habet colliquamento turgidum. Sæpe acquisita magnitudine fructus cerasorum, exteriori papilla ab ovario crumpens vesicam colliquamento refertam, mulei instar cerasorum, in centro continet, quæ interdum rotunda est, & non raro pluribus styliformibus appendicibus donatur, frequenter tamen una tantum gaudet appendica. In completo quoque luteo hoc corpore interdum nil fere occurrit contenti colliquamenti, sed frequentissime ab interiori tunica papillam investiente, ubi fovea exterius ut plurimum excitatur, & foramen postremo excavatur, cinereum quoddam corpus producitur membraneum, & fortasse fistulosum, quod versus centrum perpendiculariter elongatum in ramos valorum instar dividitur, qui universam lutei corporis compagem excurrunt, hisque appenduntur lobuli sub diversis inclinationibus. In aliquibus adultis luteis corporibus versus centrum, & quandoque profundius ovulum cum appendice magnitudinis grani milii observatur exarato cinereo corpore contentum. Sæpe meatus quidam, seu ductus aperitur a profundo usque ad papillæ centrum productus, in quo diaphanus stagnat humor, qui igne in albumen crescit, & non raro ovulum, vel gemina custodiuntur appendice donata, non valde dissimilia quo ad formam ab his, quæ in muscis gallarum observantur. Postremo tandem lutea hæc corpora effæta deprehenduntur. tinuoso ductu pervia, qui a papillæ medio foras hiat ita, ut stylum admittat: inclusa vero cavitas magnitudini pisí æquatur, & ambiente membrana una cum continuato ductu investitur. Hæc itaque in diversis constitutionibus deprehensa, probabiliter evincere videntur, luteum hoc corpus non solum pro custodia ovuli, ejusque ejectione a natura excitatum esse, sed fortasse eiusdem generationi conferre, hincque glandulosum po-

tius, quam musculosum censendum esse; ejus enim struc-  
tura non est fibrosa, nec carnea, sed potius succentu-  
riatis renibus persimilis; unde probabiliter dubitari po-  
test per glandulosum hoc luteum filtrum præparari, &  
separari materiam, quæ transmissa per ramos umbilica-  
lis vasculi, tandem in ovulum, seu præviam cicatri-  
cem ichore contentam immutatur. Hujus analogam  
productionem in plantarum ovis intuemur, in quibus  
umbilicale vas priuio emergit, cuius extremitas sensim  
laxatur & turget ex subingresso colliquamento, quod  
tandem plantulam manifestat. Ex his quoque dubita-  
ri potest, vesiculos, quæ quocunque tempore in ovariis  
copiosæ luxuriant, inæqualem fortitas magnitudinem  
& concressibili colliquamento plenas, non esse vere o-  
va, quæ postremo fœcundentur, sed materiam, ex qua  
fortasse glandulosum, luteumque corpus primo excita-  
tur. Non enim videtur certum, post coitum tantum,  
seminisque masculini affusionem, luteam & glandulo-  
sam manifestari substantiam, & hanc fœcundati inclusi  
ovuli signa præferre; nam frequentissime in vitulis nu-  
per natis unam, vel alteram vesiculam insignem depre-  
hendi, cui lutea hæc substantia graminis instar adnas-  
cebatur. In vaccis quoque prægnationis præcipue tem-  
pore, & in diversa contenti fœtus ætate, lutea hæc cor-  
pora interdum ciceris, modo cerasorum fructum æ-  
quantia in ovariis observavi, & hæc multiplicita, nec  
tamen superfœtationis suspicio aderat. Hoc idem in  
muliere circa septimum graviditatis mensem observavi,  
quin & in uno eodem ovario in diversis animalibus plu-  
ra lutea hæc corpora inæqualis magnitudinis extant,  
in quibus non succedit tanta fœtuum multiplicitas. His  
addam in pluribus ovariis, concoctis præcipue, vasa am-  
pla luteo succo concreto turgere. Dubitari quoque po-  
test, non unicam vesiculam albuminis absumi pro ge-  
neratione lutei unius corporis, sed fortasse plures insum-  
mi;

mi; nam ubi perfectum extuberat luteum hoc corpus, non solum totam sere ovarii concavitatem occupat, sed frequenter paucæ albuminis vesiculæ adstant, cum arias copiosissimæ numerentur. His itaque penitus non improbabiliter colliges, luteam hanc, glandulosamque substantiam non immediate subsequi feminis affusionem factam in ovo intra ovarium contento; sed longe ipsum antecedere, & subventanea quoque dari ova, vesiculosas pariter colliquamento refertas non esse rigorose ova, sed materiam, ex qua glandula excitatur, cuius ope ovum separatur, fovet & statu tempore cicitur. Erumpit autem ovulum, forasque truditur, dum extuberans glandulosi corporis papilla ex carnearum fibram contractione extra magis exprimitur, & lacerata sensim tenui ambiente membrana, hiante umbilicali vase, vel sinu, conditum ovulum foras exprimitur; Interdum etenim papillam præputii initia a carneis fibris ovarium ambientibus revulsam vidi, unde patebat hiatus in concavitatem glandulosi corporis: ovulum autem, ut in gallinis accidit, contractis carneis lacertis, quibus reticulare opus infundibuli, seu extremæ tubæ conflatur, abunde & securè excipitur, ut in tuba fœcundetur. Extruso itaque ovulo sensim flaccido contabescit glandulosum corpus, & de facili obliteratur, sicut angustatis arteriis & venis glandulæ & viscera quoque fere abalentur.

Hæc itaque uteri structura dubie & tumultuarie a me exposita tuam desiderat operam, ut obscuriora dilucida reddantur, & certa ulteriori indagine firmentur. Tibi igitur post novas aggressiones vera uteri structura patebit, & ignotam adhuc ovi fœcunditatem, foetusque auctionem tua tandem dexteritas aperiet. Expositam interim uteri compaginem meditanti mihi quædam probabilia proferre licebit. Uterus ex natura sua ve-

getationis ager est, in quo sata semina, seu ova, soventur, & viventis partes explicatiōes redditae manifestantur & firmantur; & licet a parente fœmina ovum decidat & seratur, inefficax tamen & fatuum est, ideoque masculini feminis energiam exigit, a quo vegetationis principium inchoetur: quare ex naturae legibus mulieres, sicut & reliqui viventium ordines ova promunt, quæ uterino sīnu recepta, & masculino semine fœcundata in novum animal explicantur. Qua ratione autem in viviparis præcipue contingat ovi fœcundatio non eadem apud omnes invenies sententiam; plerique enim censent, feminis corpulentiam ovo ipsi, ovario adhuc appenso peculiaris cujusdam ductus ope affundi: alii vero jam delapso, intraque uteri claustra concluso aspergi autumant; & postremo nonnullorum est firma opinio, immutato totius uteri tono, infectoque sanguine a virilis feminis aura, tandem conclusum ovum fœcundum reddi. Constat autem, Tibique diversos animalium uteros secanti saepius patebit, anfractus & obstracula occurrere, quibus feminis corpulentiae ingressus in uteri concavitatem intercipitur: In vaccis ichor quidam & latus extillat mucus, seu gelatina, qua non solum interio uterus madet, sed ejusdem os obturatur, & superior vaginæ portio refertur; quare sicut feminis corpulentiae ingressum prohibere potest, ita ejusdem auræ, & spirituosis habitibus menstruum & vehiculum opportune subministrare probabiliter potest. Extillans igitur ichor ab exaratis superius osculis, quibus uteri & tubarum interior concameratio pertunditur, non solum totum uterum & vaginam irrigat, sed effuso intra vaginam semini occurrit, ejusque volatiles particulas coercendo sibi intime miscet, a quibus tandem fermentatur & turget. Hæc motio media partium contiguitate continentis utero communicatur, ejusque fluidis particulis impertitur ita, ut in utero & contentis humoribus

bus novus tonus, copulationes & motus succedant. Receptum igitur ab ovario media tuba ovulum sufficienter irrorari potest, & energetico illo masculini semenis spiritu foecundari, a quo motus principium manifestari incipit. Hinc *Hippocrates* fortasse siccios, vel plus justo humidos uteros steriles dicebat; in illis enim genituræ vis non coeretur, nec propagatur; in his vel dissipatur, vel effluit ita, ut in temperatis tantum conceptus subsequatur. Quid simile miramur in papilionibus, in quibus ingens bicornis vesicula extremo appenditur ovario, a qua glutinosus perpetuo extillat ichor in concavitatem vaginæ, quo masculinum semen, aliisque etiam a laterali loculo eructatus humor excipiuntur & foventur, quibus omnibus pertransientia ova irrorantur & foecundantur, & ita per plures dies plastica illa vis conservatur, & subsequentibus diebus excurrentibus ovis communicatur; quod pariter in gallinis coniectari licet, in quibus seminis semel recepti energia non parum conservatur ita, ut successivo etiam tempore ova foecudentur. Et quoniam natura in gallinaceis non soli cicatrici, in qua partium rudimenta latent, galli semen, vel aliud menstruum ab eodem foecundatum aspergit & affundit, sed totum ovum, alimentum scilicet sub specie albuminis & vitelli vi plastica irrorat ita, ut totum foecundetur; ideo cum uterus humoribus turgidus ovulum ambiens analogus sit gallinarum ovo, ipsum quoque una cum contentis humoribus foecundari probabile est; hoc autem interius extillans ab utero ichor semine turgidus præstare potest. An vero uterina vasa superius exposita huic foecunditati aliquid conferant, dubitari potest. Et primo probabile est, contentum succum foeminei semenis, vel saltem prostatarum ichoris loco esse, & inde incitamentum & propriam energiam una cum masculino semine ovo communicare posse. Quoniam tamen hæc vasa per longum uteri producuntur,

producuntur, & extremis finibus ejusdem cornua irrigant, glutinoso pariter succo turgent graviditatis præcipue tempore, ideo mihi dubitandum occurrit, masculini feminis volatilibus particulis non parum immutari contentum in hujusmodi vasis humorem, indeque exteriores, & præcipue cornuum partes fœcundari, in quibus sit primæva conceptio, & successivo fœtus auctio & nutritio. Nec tibi improbabile hoc videbitur, si mente revolves, hujusmodi humorem masculino femine de facili alterari, cum paſſim ex unico, foloque concubitu cum lue venerea infectis totus ita inquietur humor, ut acidior redditus perpetuam fibi viam affectet, & semel inspiratum miasma diu conservet. Delapsum itaque ab ovario ovulum, & menstruo uterino utriusque feminis volatilibus particulis turgido aspergitur. Uterus quoque interius & exterius, contentique in eo humores ita turgent, ut sanguis novo recepto motu intra vaſa non parum subsistat, cotyledones extuberent, & fluvidis redditis, & ad motum pronis omnibus inclusi in ovulo fœtus nutritio & auctio calebrentur.

Varia est natura in mechanico illo apparatu, quo a vasis uteri in fœtum succus transducitur; nam placenta, vel quid analogum frequenter intercedit. Exarata cotyledonum structura superius exposita præ reliquis elucescit; est enim sui generis glandula congregata, in qua portio uteri propria carne donata receptum ab uterinis arteriis succum percolat, qui separatus in sinuosis cavitatibus recolligitur, donec sensim fistulosas alterius glandulæ partis radiculas subeat, & venarum surculis excipiatur. Sed potiora mentis tuæ, cultrique acie deteges ita, ut ulterius non liceat meis cogitatis tuam præoccupare phantasiam.

Ab animalibus interea ad vegetantia transitum faciens cursim quædam recolligam, quæ in dictorum alias confirmationem denuo observavi. In plantis igitur nutritii succi motum exploratus iterum in multiplicibus, variisque arboribus corticem vinculo, vel circumcisione, avulsa ejusdem anulari portione tentavi, & plantæ superior portio, ultra scilicet sectionem perpetuo intumuit, debitumque fortita est augmentum; inferior vero nullum adepta incrementum folias interdum dedit gemmas. Hanc eamdem sectionem in humiliori trunci parte, & in radicibus ipsis excitavi, & perpetuo superior trunci, vel radicum pars insigniter intumuit, & ab hac radiculæ copiosæ emanarunt; inferior vero, reliquaque radicis portio frequenter gracilescendo tandem contabuit: Quare confirmari videtur indicatus olim nutritii succi refluxus motus ab extremis ramis ad ultimas usque radices; unde intercepto alimento compressione, vel laceratione vasorum remotiores plantæ partes solito non gaudent alimento, tumorque ex relabente succo excitat. Propagatur autem a foliis ipsis usque ad radicum extremos apices. Quapropter florum cultores soluto in girum cortice, ut alias indicavimus, tenuillum ramum a paterno emancipant trunco circum affusa madida terra, in qua erumpentes novæ radiculæ supra sectionem vegetare incipiunt; alimentum enim inferiora versus propulsum, vel expressum non solum prope corticis sectionem stagnando tumorem excitat, sed foras irruendo in radiculas absumitur; unde sui juris factus surculus paterno tandem dissociatur trunco. Non raro in radicibus prope flumina, quarum portio obtruncata aperto gaudet aere, ab ultimis libri finibus gemmæ radicum loco erumpunt, quæ in ramos sursum attolluntur. Hæc sunt ea, Vir doctissime, quæ tibi indicanda erant, & quæ tuis

[ 646 ]

tuis exculta ac firmata observationibus stabunt, diu-  
que vivent; Tibi enim familiare est lapides ipsos &  
prisorum monumenta injuria temporum attrita no-  
va eruditionis luce donare, & ab interitu vindicare.  
diu vivas, dum me tui addictissimum profiteor.  
Vale.

Dabam Bononiæ calen.

*Novembris MDCLXXXI.*

---

*A Let-*

---